



# ASIAE VNIVERSAL. ENARRATIO.

bicum, à Meridie mare Rubrum, ab Ortu sinum Persicum & mare Rubrū. Nec iniuria cognominatur felix, cùm præter soli fertilitatem, multis aromatum generibus abundet, vti Aloë, Myrrha & similibus. Camelos alit, Auri item & Gemmarum copiam habet. In hac Saba vel Sabæa regio, opū diues, & thurifera. Montes in ea Zames, Hippo, Climax, apud hunc Stygis aquæ fons. Maritha mōs ex quo Laris & Prion fluuij. Didymi mōtes, & Melas oliuarum fertilis. Mesopotamia finitur à Septen. Armenia maiore, ab Occasu Euphrate flu, ac Syria, ab Ortu Assyria, per amné Tigrim, à Meridie Arabia deserta & Babyloniam per Euphratem flu. sic dicta, quod inter duos hos fluuios media sit, armentorum pascuis laudata est. Mōtes in ea Casij ab Aquilone & Syngaras mons. Fluuij Chaboras & Ascoras. Babyloniam ab Occasu & Aquilone inter Euphrates ambitus continetur, qui eam à Mesopotamia & Arabia deserta dirimit, ab Oriente Tigri à Susiana, separatur à Meridie montibus, & Persico sinu finitur. In hac Chaldaea regio est, frugum vitiumque fertilissima, rerum insuper preciosarum ditissima est, in facris literis Sennaar dicta. Assyria finitur à Septentrione Armenia maiore, ab Occasu Mesopotamia & Tigri flumine, à meridie Susiana, ab oriente Media. In hac est Ninive vrbs: Regio amoena & temperata. Montem habet Niphalem ex Armenia protensum, ex quo Lycus, Caprus & Gorgus fluuij in Tigrem decurrunt. Media terminatur à septentrione Hircano mari, ab Occasu maiore Armenia & Assyria, à Meridie Perside, ab Ortu Hircaniam & Parthia. Horum olim amplum imperium, Regum Persarum domiciliū æstiu tempore erat Ecbatanis in Media, Hyberno in Perside. In Media sunt Caspia porta, vbi ruptura est montis longitudinis octo milliarium, itinere manufactu angustissimo per quem Babylonij & Persis est transitus ad mare Caspium. Montes habet Caspium & Zagrum. Fluuios autem Cambysim, & Cyrum ex Caspijs montibus, in idem mare fluentes. Amardus ex Zagro in idem mare delabitur, lacum efficiens Marianum. Susiana habet à septentrione Assyriam, ab occasu Babyloniam, ab ortu Persidem, à meridie Persicum sinu. Huius regionis fructus feruntur perpetuò virere. Eius Metropolis Susa, modò Baldach: in qua agit Pontifex Saracenorum, Caliphum vocant. Persis terminatur à septentrione Media, ab occasu Susis, ab Ortu à duabus Carmanis Dara flu, discernitur, à Meridie sinu Persico finitur. Huius Imperator hodie Sophy dicitur: qui imperium à Saracenis & Turcis iamdudum ablatum, strenuè quotidie recuperat. Parthia montibus vndique cincta, ab occasu Medos habet, à septentrione Hircaniam, ab ortu Ariam, à meridie desertam Carmaniam. Regio est feras saeuissimas & serpentes alens. Hircania ab occasu Medos habet, à Meridie Parthos, quos Coronus mons dirimit, ab ortu Margianam, deinde mare Hircanum seu Caspium. Regio vini ferax: vbi apes in arboribus mellificant, Tigridum quoque foecunda. vnde Virgil. 4. Æneid. *Hircanæq; admirunt rubra tigres.* Fluuijs rigatur Moxera & Secanda. Vtroque duobus fontibus ex Corona monte in Caspium mare fluente. Carmania duplex est, altera deserta sita & moribus Persis affinis, altera quicquid inter montes Persicos & sinum Persicum est, complectitur. Montes huius regionis sunt Strongilus & Semiramis, & in medio regiones alij ignobiores, ex quibus fluuij sex, Dara, Cathrappis, Corius, Achindana, Andanis & Saganus, in sinum Persicum fluunt. Salaris verò flu. ex ijsdem montibus in Indici maris sinum Paragonicum defertur. Margiana habet ab occasu Hircaniam, à septent. Scythiam intra Imaum montem, à Meridie Ariam, ab Ortu Bactrianam. Regio est admodum vitifera, etiam vndique montibus obiectis finita, amœnitatis adeò inclytæ, vt in ea vitem inueniri asserat Strabo, cuius stipitem duorum hominum vix vlnæ complecantur, racemum autem duorum cubitorum orbem implere: quod Alexander miratus ibi primùm Alexandriam condidit. Montes eius versus Ariam & Austrum Saraphi dicuntur, versus Hircaniam Masdoranus. Margus fluuius qui regioni nomen dedit eam diuidit medium 15. dupli fonte ex Saripho monte scaturiens, in Hircanum mare Oxo comitatus ruit. Bactriana terminos habet ab occasu Margianam, à septent. & ortu Sogdianam diuisam ab ea Oxo amne, à meridie Ariam & Paropamisadas. In ea olim regione mille vrbes Strabone teste, rerum omniū fertilis, oleo duntaxat excepto, Camelos alit fortissimos. Sogdiana terminatur ab occasu & septentrione Scythia intra Imaum montem, ab ortu Sacis, à meridie Bactriana, & India. Haec tenus Alexander Magnus exercitum duxit. Sunt in ea Alexandria dux Oxiana & ultima. In ea arbor papyrus folijs tam vastis nasci dicitur, vt quatuor pedes in longitudine æquet. Sacæ terminantur ab occasu Sogdiana, à septentrione Scythia intra Imaum monté, ab ortu Scythia extra Imaum, à meridie India intra Gangem. Regio Nomadum est, Ciuitates enim non habent, nemora aut speluncas habitabant Ptolemaei ætate. Scythia omnis secundum Ptolemaum ab occasu habet Rha fluuium terminum Sarmatiæ, à septentrione terram incognitam, ab ortu Sericam regionem, cuius limes est linea per montes Cassios sursum deorsumque ducta. A meridie partim Hircanum mare Sogdiosque, partim Sacas & Imaum monteni. Plinius & alij etiam Sogdios, Margianos & Sacas sub Scythis comprehendunt: atque hi Imao monte eam ab India separant, ea scilicet montis parte, quæ in ortum occalumque diffunditur. Altera Imai pars sursum deorsumque tensa Scythiam duplicein distinguit, intra Imaum & extra Imaum, occidentalem & orientalem. Scythia interior tota hodie Tartaria magna vocatur, multumque ultra Hyperboreos montes ad septentrionem protenditur, vbi multæ & syluæ & ferae. His omnibus præesse fertur Tartarorum princeps, Magnus Cham dictus, vocaturque regnum Cathay ad orientem extrellum extenitum. In vltiori scythia Cassia regio est, quæ Cassiam fistulam ferre dicitur, & Tharsos regio. Montes harum Prouinciarum

sunt Rhymnici: vnde Rhymnus fluuius, in Hircanum mare fluit. Sunt & Alani montes, Norofius, Aspasij, Tapuri, & Auaræi, omnes ferè ex Imao ortum sumentes. Serica terminatur ab occasu Scythia, quæ extra Itaum est, ab austro India extra Gangē & Sinis, reliqua latera incognita etiam nunc existunt. Incolæ sericum ex arboribus depestant, quod vermiculus ser conficit, indeque ortum nomen est. Eius regiones ad Cathay regnum & Chinchitalim regionem pertinent. Aria à septentrione habet Margianam & Bactra, ab occasu Masdoranus mons, à Parthia ac deserta Carmania eam seiungit, à meridie Bagoo monte, à Drangiana sequestratur, ab ortu Paropamisadum montibus excipitur. Regio in ea scorpiofera est: solum ob Solis ardorem sterile habet, Corallium tamen vitesque supra quam aliae regiones fert. Paropamisadæ versus omnem partem ferè montium collibus compressi, Paropamisus ab occasu & septentrione ab Aria & Bactris eos separat. Caucasus qui Piper mittere fertur, ab ortu Indianum cis Gangem ab his dirimit, Paruetus ab Austro Arachosiam ab his segregat. Gardamanis fluuius in medio ortus versus aquilonem Oxo flu. iungitur. Choas flu. ex Parueto oriundus Indomiscetur: nonnullis hac regio nunc Tourquestan vocatur. Drangiana ab occasu habet Carmaniam desertam, à septentrione Ariam, ab ortu Arachosiam, à meridie mons Bætius, à Gedrosia eam distinguit, eam peragrat Arabs fluuius. Incolæ lapidum pretiosorum, vestiumq; copiam habent. Arachosia terminatur ab occasu Drangiana, à septentrione Paropamisadis & Paruetis montibus, ab ortu India cis Gangem, à meridie Gedrosia, Arachosus flu. fere in lacum ingentem diffundens ex Parueto monte ad Indum flu. transit. Gedrosia terminatur ab Occasu Carmania altera, à septent. Drangiana ac Arachosia, ab ortu India cis Gangem, à meridie Oceano Indico Meridionali. In hac parte hodie describitur regio Guzerat, cui propinquæ est Cambaia. laborat fructuum penuria: fert tamen aromata, præcipue Nardum & Myrrham, quibus Alexandri exercitus pro teat & stratis vsi sunt. Montem habet Bætium & Indum fluuium. Indianum totam Indus fluuius ab occasu à Paropamisadis, Arachosia & Gedrosia, à septentrione Imaus, Emodij, Sericique montes à superiacentibus Segdianis, Sacis, Seris, Scytisque dirimunt, ortum Serus flu. & sinus Mangi dictus finiunt. Australe latus Oceano Meridionali Indico pacificoque clauditur. Natio est ingens, qua vno nomine nulla maior. Medium autem Ganges flu. (quem nonnulli Phison credunt) diuidit, vnde duæ distinguuntur Indiae, cis Gangem & citra Gangem. India intra Gangem totius regionis flos, Provincias continet plurimas, Nar singam latam habet regionem, multorumque aromaticum fertilis. Item Cañanor, Calecutum regnum & emporium famatissimum, ad quod ex tota India & Sinanum regione afferunt gariopholi, nuces myristicæ, muscus, Rhabarbarum, sandala, aloë, & similia. Est & Cuchinum emporium & regnum Mien, sub se continens regna alia 22. In hac India mons est Betigus, ex quo tres prorumpunt fluuij, Pseudostomus, Baris in quo Beryllus vnio reperitur, & Solenis, in mare Indicum desfluentes. Mons item Adysathrus ex quo Chaberus flu. in sinum Argaricum vergit. Regio circa Gangis ostium Ophir in sacris literis dicitur: vbi Adamas in copia crevit. Est & Vxentus mons, ex quo Tyndis, Dofaron & Adamas flu. prorumpunt, vbi itidem Adamas lapis iungitur. Oriuntur ex Vindio monte Namadus & Nanagna fluuij, qui Calecutum perluit. India extra Gangem, quam maiorem appellant, regio est non adeò culta, atque illa interior, aut saltæ nobis non tam exquisita. In ea regio aurea & argentea, & Chersonesus aurea, quæ nunc ab incolis Malacha dicitur. Hæc terra præter aurum & margaritas Rhabarbarum iungit. Sinarum regionem nunc Chynam magnam appellant, ea est ab ortu Solis Indiae maioris post Serum fluuium: eius Rex potentissimus totius ferè mundi celebratur, nationes continet Margaritarum feraces, & fluuium Aspitharam. Quicquid præterea versus ortum in superiori & orientali India restat, haud claris authoribus celebratū, situm obtinet incertum. Recensentur vero provinciæ tales: Chinchitalis, Balor regio vastissimis desertis constans, Tangut. Mangi provincia regna complectens nouem, & Meandrum montem. Chayra regio 7. continens regna, Thebet, Cyamba, Cathay, in qua Quinsay, vrbs totius mundi maxima, apud nos Coeli ciuitas dicta. Regiones potentissimæ, quibus Magnus ille Cham Tartarorum præesse dicitur, quæ omnes cum incertis limitibus sunt traditæ, prætererūt. Taprobane insuper cum reliquis infinitis propemodum Asiae insulis prolixitatis vitanda gratia in aliud locum distulimus. Atque hæc sufficiunt generatim de Asia dixisse. Cuius tandem quantitatem sic adiungimus, vbi in Occidentem maximè vergit, longitudinem habet gradus 58. vbi ferè Cœstantinopolis locatur, vbi autem in Orientem maximè procurrit, longitudinem habet graduum ferè 178. quo loco Tamos promontorium est, qui gradus in parallello decimo quinto sumpti milliaria dabunt longitudinis Italica quidem 6000. seu Germanica 1500. Locus huius continentis qui maximè in Austrum deprimitur, ipso æquatori circulo subest, vbi promontorium Cinga pura, qui vero in Boream maximè excurrit, latitudinem habet graduum 75. vbi Tabin Scythicum promontorium: vnde milliaria profiliunt Italica 4500. seu Germanica 1125. Quas vero vel æstatis, vel dierum artificialium vicissitudines patiuntur, facile ex ijs quæ in Africæ descriptione à nobis tradita sunt, cognoscet qui volet. Cum parallelorum omne genus contineat tam Amphisciorum & Heterosciorum, quam etiam

# EVROPA.

**E**Vropa partium terra quinque minima, reliquis cum hominum frequentia, tum etiam fertilitate, si non superior, certe equalis, cumq; optimis comparanda, utpote populosissima & cultissima. Sive etiam terra excellentiam metiri placeat, vel ex opulentia, vel ex sua, ad animalium & in primis hominis vitam sustentandam ac fouendam commoditate, certe modis omnibus principatum tenere videbitur Europa, quippe cum felix prouentu rerum omnium, cum ad vitam sustentandam tum tutandam contra morbos, herbas ferens medicas omnis generis, fructuum variorum suauissimorumq; gaudens abundantia, vini frumentiq; copia. quū & ea, quae delicatiorem quoque iuvant vitam, abunde suppeditat, ut nil eorum quod desiderari possit humanis usibus, ab alijs petendum sit, nisi quis gemmarum aut aromatum in ea nil nasci obijciat, neque tamen is negabit compensari earū rerum penuriam, aliarum, cūm non minus utilium, tum quibus harum vice recte uti liceat, copia ac abundantia, aëre cæloq; ut plurimum fruitur temperatissimo ac clementissimo. Verū sit certe magis felix vel India, vel Africa, prouentu rerum ad delicatiorem vitam desideratarum: quod vix persuasum habeo, non tamen ideo terræ istæ videbuntur huic præferenda, eò quod non metienda videtur terrarum excellētia, utensiliū in eis copia, sed utentium (propter quos illa creata sunt) frequentia. Est Asia magna, vastaq;, habitatores pauci. Africa quamvis paulo minor, Europam tamen in triplo excedit, habitatorum verò huius, illa vix habet partem medium, ita ut verius à terra hi, quām ab his terra habeatur. Atque hoc ipsum harum inopia argumentum magnum (hoc maxime tempore) quo nullum vel minima fertilitate præditum solum, incultum maneat, quod Riphæi Alpesq; montes, perpetuis niuibus albicantes. Veruntamen habitati abunde satis testatū faciunt. Asia vero Africæq; magna & vasta solitudines animalium vita nulla in parte seruientes, ex Solis

ardoribus arenis tecta, squalentes agri, sordidiq;, ut visentibus, etiam horrorem incutiant: at hac Europa, parua quidem, cultissima tamen & populosissima, qua in parte vel sola etiam totam, seu Asiam, seu Africam excedit, nitens, totaq; habitata, praterquā in exigua parte, qua ob frigoris iniuriam vix aut agrè habitari potest, populosignens pugnaces fortisq; agrorum & urbium cultores, legibus bene constitutis Republicas tenet. fructuum optimorum feracissima, metalla etiam seu mineralia omnia habens, pecudum mitium ditissima, quum & ferarum non minus utilium cūm alat copiam, nocuarum tamen raritatem iactat. Atque hac de Europa terra bonitate & excellētia. Terminatur autem penè undiqueaque pelago, præterquam qua Orientem spectat parte, ubi Asia contermina, ab eadē Tanai dirimitur fluvio, qui idē ab Incolis Den dicitur, dicitur & Altan Munstero, & Silis, nec à montibus oritur Hyperboreis, ut tradunt quidam, cum testibus Mathia de Michou, & Paulo Fouio ducentorum milliariorū spatio circa Moshouiam, in qua eius fontes extat, nulli reperiantur montes. Inde autem ad Septentrionale pelagus porrecta, finem Orientalem facit, à Septentrione Germanico alluitur Oceano & Hyperboreo, à Borea Thule & Scandianis comprehensis Insulis Oceano Deucalidonio alluitur. Hinc Orcades, Hebrides Albionem seu Britanniam Insulas Britannicus, Cantabricus, & Aquitanicus claudunt Oceani. Inde ab Occidentis parte Occidentali Atlantico, Verginoq; Oceano ambitur, quousque ab Iberia Mauritaniā separat, & ad Gades Herculeum fretum (quod nunc ab Hispanis, Estrocho de Gibraltar dicitur, illabatur, ibiq; mare Mediterraneum vocatum ad Austrum Africanam ab Europa sejungat: ubi pluribus ac insigniter nobilibus Insulis comprehensis, quibus (ut Munsterus ait) tanquam gemmis pretiosissimis corona ornatur Europa, subinde alijs atque alijs ab illis nominibus vocatur. Vnde Balearicū, Sardoumq;, Siculumq; dicitur,

